



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. CXXXV. De Dispensationibus super impedimentis Matrimonii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

lum amplius pariat impedimentum, respon-
disse Sac. Congregationem die 13. Julii 1624.
testatur Nicol. lib. 1. tit. 10. de Nuptiis num. 37.
vers. Responderetur multas requiri. pag. 50. & num. 76.
pag. 67. ubi admonet, non esse credendum
Barboſæ contrarium responſum Sacre Con-
gregationis alleganti in Collect. Bullar. verb.
Cognatio in fine, quia, ait ipse Nicolius, se vi-
disse Decretum Sac. Congregationis supradic-
tum diei 13. Julii 1624. registratum in libris ori-
ginalibus Secretariæ, ad quos colligandos fuit
deputatus, ut mihi significavit Illuſtriſſ. & Re-
verendiſſ. Episcopus de Vecchiis, Secretarius
Sac. Congreg. Concilii anno 1670. dum Romæ
eſſem cum Eminentissimo Domino meo
Cardinali Episcopo Patavino. Qua occasio-
ne ipse Nicolius reportavit notitiam tanto-
rum decretorum, & declarationum Sacre
Congregationis, quibus suas Lucubrationes
utriusque juris, & floſculos exornavit. Cri-
mina verò impediencia, & non dirimentia
matrimonium olim erant ſeptem, nempe:
*Inceſtus, Uxoriciſium, Raptus aliena ſponſa, Suſcep-
tio proprii filii ex ſonte, Preſbytericiſium, Matri-
monium cum Moniali, & Publica Pœnitentia;* de
quibus Pax Jord. dict. lib. 3. tit. 7. num. 219. qui
num. 238. teſtatur, ea omnia reſceſſiſſe ab aula;
ita, ut ex univerſali conſuetudine non am-
plius attendantur, & nemo ſit, qui diſpenſa-
tionem petat ſuper illis, quod confirmant
Doctores ibidem per eum allegati, inter quos
Sanchez de Matrim. lib. 7. diſp. 17. num. 8.
Quamvis ea adhuc eſſe attendenda, tanquam
à Sacris Canonibus conſtituta, oſtendat Emi-
nentiſſ. Cardin. de Lauræa de Impedim. Matri-
mon. diſp. 36. num. 80. & Cardin. Tolet. lib. 7.
cap. 19. Porro crimina tam immania raro
accidunt.

6. *Quar.* Quodnam peccatum commit-
tant, qui contrahunt matrimonium cum u-
no ex quatuor prædictis impedimentis non
dirimentibus? *Reſp.* Eos peccare mortaliter.
Jordan. dict. lib. 3. tit. 7. num. 137. an autem
peccato ſacrilegii, vel inobediencia tantum?
diſputant Doctores, & Diana part. 3. tract. 4.
reſolut. 297. Quorum utramque opinionem
cenſet probabilem Tamburin. dict. lib. 8. de
Matrim. cap. 17. quaſt. 1. num. 9. quod intel-
ligi vult multo magis de impedimentis di-
rimentibus.

7. *Quar.* An peccet mortaliter, qui con-
trahit matrimonium cum impedimento di-
rimente, ſed non ſpontè, at per vim, & me-
tum? *Reſp.* Cum diſtinctione; ſi impedi-
mentum eſt juris Eccleſiaſtici tantum, non pec-
cat, dummodò non habeat animum utendi
eo invalido conjugio. Tamburin. alios ci-
tans dict. lib. 8. cap. 17. quaſt. 2. num. 4. Si
verò impedimentum ſit de Jure naturæ, ut ſi
Pater compelleretur ducere filiam, & in hoc
alii tenent, eſſe peccatum mortale, quia eſt
intriſecè malum; alii defendunt, neque ve-
niale eſſe, quia metus excuſat, & facit invo-
luntarium, & reddit factum nullum. Ita
Sanchez dict. lib. 7. diſput. 5. & Tamburin. d.
quaſt. 2. num. 5. & ſeqq.

8. *Quar.* Quam pœnam incurrant, qui
contrahunt ſpontè matrimonia cum impedi-
mentis dirimentibus? *Reſp.* Si impedimenta

inſurgant vel ex conſanguinitate, vel ex af-
finitate, vel ex ordine Sacro, aut ex voto
ſolemni, contrahentes incurrunt ipſo facto
excommunicationem latam in Clement. Unica
de Conſanguinit. Quæ tamen non eſt reſerva-
ta. Qui verò contraherent cum cæteris im-
pedimentis, nullam aliam pœnam incurrere-
rent in foro Poli, niſi peccatum mortale.
Pontius de Matrimon. lib. 7. cap. 41. num. 9.
& Tambur. ubi ſupra d. cap. 17. §. 4. (Excepto
tamen crimine Raptus, ob quod Concilium
Tridentinum inſiſxit excommunicationem
in Raptores, ac eis conſilium, auxilium,
vel favorem præbentes ſeſſ. 24. cap. 6. de Re-
format. Matrim.) At in foro ſoti eſſent pu-
niendi graviter ad arbitrium Episcopi.

CAPUT CXXXV.

De Dispensatione super Impedimen- tis Matrimonii.

1. *Quar.* Quid ſit Diſpenſatio? *Reſp.* Eſt ju-
ris relaxatio facta cum cognitione
cauſæ ab eo, qui poteſt relaxare. Gloſſ. in
cap. Requiſitis verb. Ut plerique 1. quaſt. 7. Tam-
burin. lib. 8. de Matrim. tractat. 2. cap. 1. ubi
notat, eam eſſe ſtriçtè interpretandam, ſalva
ſemper proprietate verborum, quia eſt odio-
ſa juri, & contra illud, quantum minus poteſt,
debet extendi. cap. 1. De Filiis Preſbyter. in 6.
Ideòque ridicula eſt opinio, & doctrina Me-
rollæ tract. 2. diſp. 4. cap. 6. num. 28. docen-
tis, diſpenſationes matrimoniales eſſe latè
interpretandas, quia per eas redimus ad liber-
tatem naturæ. Quapropter commiſſio, ſeu
mandatum diſpenſandi ſuper impedimento
matrimoniali, directum Executori, eſt ab eo
ſtriçtè interpretandum; ita, ut ſi conſeſſum
ſit ſuper quarto Conſanguinitatis gradu, &
Oratores reperiantur conjuncti duplici quar-
to, non poterit Executor diſpenſare, quia
commiſſio intelligitur ſtriçtè, & ſic de ſim-
plici quarto, non de duplici. Sanchez lib. 8.
diſp. 2. num. 6 & Pyrrh. Corrad. quem allegat,
& ſequitur Tambur. ubi ſupra cap. 2. Juſtus de
Diſpenſat. Matrim. lib. 1. cap. 2. num. 2.

2. *Quar.* Apud quos reſideat Potestas di-
ſpenſandi ſuper impedimentis matrimonii?
Reſp. Apud Summum Pontificem in omni-
bus impedimentis præter ea, quæ ſunt de ju-
re naturæ. Apud Episcopos in ſuis Diœce-
ſibus in impedimentis impediencia tantum.
In Vicariis Episcopalibus, ſeu Capitula-
ribus Sede Vacante ex ſpeciali commiſſione.
In Delegatis Apoſtolicis per Reſcriptum par-
ticulare, quales ſunt Commiſſarii Executors
Bullæ Cruciatæ, Vicarii Episcoporum,
quibus dirigitur Breve Pontificium ad peti-
tionem Oratorum pro foro externo; &
Confeſſarii Doctores, quibus præſentatur
Breve Sacre Pœnitentiariæ pro foro interno.
Sanchez lib. 8. de Matrim. diſp. 7. & Tambu-
rin. dict. lib. 8. de Matrimon. tract. 2. cap. 3. 4.
& ſeqq. & meæ Deciſiones de Pœnitentia,
ubi Deciſ. 48. latè docui de diſpenſationibus
Sacre Pœnitentiariæ, & de executione Lit-
terarum ejus.

3. *Quar.* An Papa poſſit diſpenſare in radi-
ce

ce matrimonii, id est, facere, ut matrimonium nulliter, & de facto contractum, in quo filii naturales, & spurii nati sunt, censetur validum in sua radice, hoc est, ab initio, ita, ut filii reputentur legitimi? *Resp.* Affirmative, ut doctè probat Sanchez de Matrim. dict. lib. 8. disp. 7. num. 4. Qui numerus quartus cum doctrina sub eo inserta ablati est versutia hæreticorum in pluribus codicibus prædicti Auctoris; idèque est inferendus, alias ille tomus retineri non potest, & est prohibitus, ut legitur in Indice librorum prohibitorum impresso Romæ anno 1670. in verb. Thoma Sanchez pag. 310. Hinc notare licet, quod in antiquis Scriptoris multa defunt Ecclesiæ Romanæ favorabilia; e. g. donatio Urbis Romanæ facta per Constantinum Imperatorem, ac ejus Baptismus receptus à S. Sylvestro, & similia, quia scilicet antiquitus ab Hæreticis fuerunt ablata, & abolita.

4. *Quer.* Quæ sint impedimenta, super quibus neque Papa potest dispensare? *Resp.* Ea esse, quæ de jure naturali constituta sunt, nempe Error personæ, Ligamen, Impotentia coeundi, & Consanguinitas in primo gradu rectæ lineæ inter patrem, & filiam, seu inter matrem, & filium; nam inter hos commixtionem carnalem dari, natura non finit; idè narrat P. Causinus, Regem Theodoricum ad convincendam mulierem, quæ, ut amasio nuberet, negabat, filium suum jam adultum esse suum filium, ei præcepisse, ut eundem filium in maritum duceret, & quia se excusabat ob ejus inopiam, obtulisse 20. millia ducatorum eidem, unde horrore perterrita, falsa est suum mendacium, & recognovit suum filium. Ita P. Causinus tom. 2. nell' Uomo di Stato pag. 135. Prædictis addenda sunt sponsalia, prius cum alio inita, nisi Pontifex ob legitimam causam declaret, ea non esse servanda Tamburin. dict. lib. 8. tract. 2. cap. 3.

5. *Quer.* An Episcopus possit absolute dispensare circa omnia impedimenta non dirimentia, sed impediencia tantum? *Resp.* Negative, quia dispensat absolute circa Tempus Sacratum, & circa Veritum, ob justam causam. At circa sponsalia non dispensat, sed agit ut Judex. Circa votum nullatenus dispensat, quando est absolute factum de castitate perpetua. Tamburin. ubi supra cap. 4. & dictum est supra cap. 46. num. 68.

6. *Quer.* An in aliquo casu Episcopus possit dispensare circa vota simplicia castitatis, ut contrahatur matrimonium? *Resp.* Affirmative, videlicet, si votum non fuerit perpetuum, sed ad tempus: vel si fuerit factum in poenam, aut ob aliquem metum, vel si insit grave periculum incontinentiæ, vel scandali. Barbosa de Jure Ecclesiastico Univers. lib. 1. cap. 11. num. 202. & 203. & Pax Jordan. lib. 9. tit. 1. de dispensat. num. 274. & num. 299. & 300. Prout etiam, si fuisset votum alternativum vel castitatis servandæ, vel Sacros ordines suscipiendi, antequam vovens eligat, quid facere velit. Jordan. ibidem num. 283. Tandem, si quis, facto voto simplici castitatis perpetuæ, contrahat matrimonium, poterit Episcopus cum eo dispen-

fare ad petendum debitum, & hoc ex generali consuetudine. Tambur. in Decal lib. 3. cap. 16. §. 4. num. 42. & num. 54.

7. *Quer.* An Episcopus possit dispensare super simplici voto castitatis, quod quis promississet servare per centum annos? *Resp.* Negative, quia hujusmodi votum censetur perpetuum. Jord. ibidem num. 174. Sed hic est casus Metaphysicus.

8. *Quer.* An liceat Episcopo aliquando dispensare super impedimento dirimente matrimonium? *Resp.* Distinguendi sunt quatuor casus. Primus est de impedimento occulto, apparente post contractum matrimonium; & in hoc Episcopus potest dispensare, si urgeat necessitas gravis; & non sit facilis accessus ad Pontificem, ac matrimonium contractum fuerit bona fide, saltem à parte unius conjugis. Sanchez lib. 2. disp. 30. num. 3. & 10. Pax Jordan. dict. lib. 9. tit. 1. num. 253. Nicol. dict. lib. 1. tit. 10. num. 79. & Tamburin. dict. cap. 4. §. 4. Secundus casus est de impedimento occulto, apparente ante contractum matrimonium; & in hoc pariter concedunt Doctores, si urgeat gravissima causa, & timor sit magni scandali in dilatione, & proficere non possit remedium de confugiendo ad simplex votum castitatis pro cohonestanda mora. Episcopum posse dispensare. Nicol. ubi supra d. num. 79. vers. Denique. Jordan. ibidem num. 261. & Tamburin. dict. §. 4. num. 9. & 10. Tertius casus est de impedimento publico, apparente post contractum matrimonium, ut si post diuturnam cohabitationem conjugalem, bona fide habitam, & filios susceptos, appareat impedimentum publicum consanguinitatis, & in hoc casu, si urgeat gravissima necessitas, & separatio fieri non possit absque summo incommodo, poterit Episcopus dispensare. Perez de Matrimon. disp. 43. sect. 6. num. 6. & Tamb. ubi supra num. 11. & seqq. qui dat exemplum de conjugibus pauperimis. Quartus tandem casus est, si impedimentum appareat publice ante contractum matrimonium, & in hoc quidem poterit aliquando Episcopus dispensare urgentissima causa existente, puta si vir sit morti proximus, & velit reintegrare honorem puellæ corruptæ, vel legitimare prolem, aut de gravissimis rixis sedandis ageretur. Tamburin. ibidem num. 21. & 22. & Diana part. 11. tractat. 8. resol. 3. vers. Sed observa. Porro hæc in praxi nunquam vidi servari; sed semper ab Episcopis fit recursus per Litteras vel ad Datariam, vel ad S. Pœnitentiarium Papæ.

9. *Quer.* An super impedimento dubio possit Episcopus dispensare? *Resp.* Vel impedimentum est incertum; & potest Episcopus declarare, non esse opus dispensatione, quia præsumptio stat pro libertate; vel dubium cadit super justa causa dispensandi, & tunc Episcopus non poterit dispensare. Tamburin. alios allegans ibidem num. 23.

10. *Quer.* An Regulares virtute Privilegiorum possint dispensare super impedimentis matrimonii saltem in foro conscientie? *Resp.* Negative, nisi eis sit expresse à S. Sede concess.

cessum, quando properant ad convertendos infideles. Sanchez lib. 8. disp. 6. num. 28. Absolvere tamen, ut conjuges possint petere debitum; post contractam affinitatem ex copula illicita, constante matrimonio, permixtum est Regularibus ex Privilegio. Tamburin. dict. lib. 8. tract. 2. cap. 6. num. 5. Et ego quoque docui in Decisionibus de Poenitentia Decis. 46. num. 19.

11. *Quer.* An Commissarius Bullæ Cruciatæ dispenset in aliquo impedimento? *Resp.* Eum dispensare in impedimento affinitatis ex illicita copula contracto ante matrimonium, si sit occultum, & alter conjux sit in bona fide; & hoc pro foro conscientie tantum. Tamburin. dict. lib. 8. tract. 2. cap. 5. à num. 6. & seqq. ubi docet, dictum Commissarium morari in Hispania, & substituere per Regna, & Provincias Regis Catholici alios Commissarios particulares cum eadem facultate. Nos in hac regione tales Commissarios ignoramus.

12. *Quer.* Quid agendum, ubi data est dispensatio ob occultum impedimentum in foro conscientie, si impedimentum fiat publicum? *Resp.* Conjuges illos esse separandos, donec à Summo Pontifice dispensatio obtineatur. Tamburin. dict. cap. 5. num. 23. & 24. ubi advertit, quod si conjuges prædicti secretò copulam habeant, non peccant; & docet, quomodo discatur occultum ad obtinendam dispensationem, & ponit differentiationem inter clausulam *Occultum simpliciter*, & aliam *Omnino occultum*; concludens num. 33. quod delictum deductum ad forum contentiosum, de quo reus nec fuit absolutus, neque condemnatus ob defectum probationum, anno transacto, reputari occultum; juxta doctrinam Glossæ in cap. *Omnipotens*. verb. *Devenientur*. De Accusationibus.

13. *Quer.* Ad quem spectet dispensare pro petendo debito, si affinitas superveniat conjugatis, post contractum matrimonium ob illicitam copulam? *Resp.* Jure ordinario spectare ad Episcopum ex generali consuetudine. Pontius de Matrim. lib. 8. cap. 13. num. 9. Vicarium verò Episcopi dispensare non posse in hoc, nisi habeat specialem commissionem, quia Auctoritas Vicarialis comprehendit solum ea, quæ sunt jurisdictionis necessariorum, non autem ea, quæ voluntariæ, prout est dispensare. Tamburin. dict. lib. 8. tract. 2. cap. 6.

CAPUT CXXXVI.

De Causis dispensandi in Impedimentis Matrimonii.

1. *Quer.* An liceat dispensare in impedimentis matrimonii sine causa? *Resp.* Negative, quia debet intervenire causa rationalis, qua deficiente dispensatio data à Superiore est quidem valida, sed illicita; sed data ab inferiore in lege Superioris est etiam invalida, quamvis in utroque casu dispensantes peccare venialiter tantum opinentur moderni relati per Dianam part. 8. tract. 3. resol. 6. contra antiquos Theologos tenentes, Doct. Clericali Tom. II. Lib. VII.

prædictos peccare mortaliter, ut notat Sanchez de Matrim. lib. 8. disp. 18. num. 7.

2. *Quer.* Quæ, & quot sint causæ, ob quas Summus Pontifex solet concedere dispensationem in impedimentis matrimonialibus? *Resp.* Eas esse præcipue septem. Prima, Angustiam loci. Secunda, Paupertatem, seu incompetentiam dotis. Tertia, Grave periculum litis, seu inimicitie. Quarta, Aetatem feminae excedentem. Quinta, Conservationem familiae illustis, & bene merite in Ecclesia. Sexta, Timorem scandali, seu periculum infamiae. Et Septima, Largam elemosynam. Pyrrh. Corrad. in Praxi dispensat. Matrimonial. lib. 7. cap. 2. Bardos. in Tridentino Concilio sess. 14. de Ref. Matrim. cap. 5. Diana part. 8. tract. 3. resol. 93.

3. *Quer.* Quomodo verificetur prima causa videlicet, Angustia loci? *Resp.* Eam tunc verificari, si in loco, in quo mulier habitat, sint tantummodo trecenti focularii, id est, habitationes, seu familiae. Pyrrh. Corrad. ubi supra lib. 7. cap. 5. num. 44. licet aliàs Sacra Congregatio senserit, si numerus foculariorum non excedat 230. ut observat Nicolius in Floscul. Verb. Dispensatio num. 3. ubi subdit, dispensationem esse exequendam, licet testes deponant, quod habitantes in eo loco sunt omnes pares; nam dispensatio conceditur, non ex eo, quod non adsint pares, sed quod mulier non inveniat sibi parem. Propterea Sanchez De Matrim. lib. 8. disp. 19. num. 14. docet, causam hanc non esse strictè, sed morali modo verificandam; & cum eo concordat Tamburin. dict. lib. 8. de Matrim. tractat. 2. cap. 7. §. 2. numer. 2. 3. & seqq.

4. *Quer.* Secunda causa Paupertatis, seu incompetencie dotis, quomodo justificetur? *Resp.* Quod in Brevi Apostolico dicatur: *Mulierem esse indotatam*, probandum sit, eam nullam dotem habere. Si verò exprimat, *Mulierem carere dote competente*, sustinetur dispensatio, etsi habeat aliquam portionem dotis. Pyrrh. Corrad. dict. lib. 7. cap. 2. à num. 21. & seqq. Generaliter autem in hac causa sciendum est, quod si mulier habeat parentes divites, qui cogi possunt ad eam dotandam, non sustineri dispensationem; Secus autem, si tantum spes extet futurae successionis ab intestato, donationis, vel legati. Sanchez lib. 8. disp. 19. num. 26. & 27. & Tamburin. dict. cap. 7. §. 2. num. 8. & 9.

5. *Quer.* Quid juris, si expedita dispensatione ob paupertatem, mulier obtineat hereditatem, vel legatum, quo efficiatur divites? *Resp.* Si jam contractum est matrimonium, non est ambigendum, quia ritè, & rectè fuit contractum. Si nondum contractum est matrimonium, subdistingue: vel executor expederat dispensationem, & probabile est, eam sustineri; vel nondum expederat, & amplius non valet. Tamburin. dict. cap. 7. §. 2. num. 11. & cap. 12. à num. 6. & seqq.

6. *Quer.* Tertia causa litium, vel inimicitie sedationis quomodo probetur? *Resp.* Si constet, futuras esse lites, vel inimicitias cum muliere, & super ejus bonis, nisi matrimonio